

## TITULUS IX.

## De Apostatis &amp; Reiterantibus Baptisma.

1. **P**rimam rubricæ hujus tituli partem prætereo; de Hæreticis enim, ad quos reducuntur, præsertim quantum ad historicam commentationem Apostatarum, Titulo VII. hujus libri abunde egi, in quo etiam celebriora Ecclesiæ Schismata retuli: insuper Titulo VIII. Schismata in Sede Petri facta enarravi. Occasione ergo secundæ partis ejusdem rubricæ fidem datam libro III. Titulo 41. exsolvo, atque de Baptismo, qui est Janua reliquorum Sacramentorum, commentationem historicam instituo, acturus de ejus institutione, Ritu administrationis, Ministro, loco & tempore, quo subinde administratus est, de subiectis Baptismi, de Patrinis, de Catechumenis, ac Neophytis.

2. Sacrum Baptisma tanquam primum inter Ecclesiæ Sacramenta, atque ad salutem omnibus necessarium instituit Christus Salvator noster.

Per Sacrum Baptisma Gentes in suam Ecclesiam Christum voluisse congregare patet ex Marci ultimo v. 15. *Euntes in Mundum universum prædicate Evangelium omni Creaturæ: qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur.* Ex quo loco etiam sequitur, Baptismum fluminis, aut in ejus defectu saltem Baptismum dictum fluminis aut sanguinis esse ad salutem necessarium absolute. Quapropter Synodus Tridentina Sess. 6. de Bapt. Can. 4. anathema dicit, *Si quis dixerit, Baptismum liberum esse, non necessarium ad salutem.* Quando Christus Baptisma instituit, non conveniunt Authores: aliis contententibus illud fuisse institutum à Christo ante Passionem & quidem cum baptizaretur à Joanne, & hæc est communior Patrum opinio; aliis è contra

volentibus, illud institutum fuisse post Passionem, dum Christus Marci ult. ad Apostolos dixit: *Euntes in Mundum universum, &c.*

3. Quantum ad Ritus adhibendi aquam in Baptismo nec olim fuit, nec hodie eadem disciplina est in Ecclesiæ Græca & Latina.

Propositio patebit ex dicendis.

4. Immerisionem, & quidem trinam, primis Ecclesiæ Sæculis in utraque Ecclesiæ adhibitam fuisse, constat ex utriusque Ecclesiæ Patribus.

Pro Ecclesiæ Orientali Sæculi tertii testem habemus Cyrillum Hierosolymitanum, qui *Catechesi Mystag.* 2. sic alloquitur recenter Baptizatos: *Et confessi estis salutarem Confessionem, & mergi ter in aqua rursus emersistis, atque ita per hæc symbola triduanam Christi significastis sepulturam.* In Ecclesiæ vera Latina Sæculo II. collatum fuisse Baptismum per trinam immerisionem testis est Tertull. lib. *De corona militis* c. 3. ubi relatis nonnullis, quæ Baptismum præcedunt, ait: *Deinde ter mergitur.* Imo adeo constans erat illis Sæculis hic baptizandi Ritus, ut quidam dubitasse videantur de valore Baptismi per infusionem collati, uti intelligere est ex questione à Magno proposita S. Cypriano; sic enim ei refertur S. Cyp. ep. 75. *Quæsi etiam, fili charissime, quid mihi de illis videatur, qui in infirmitate & languore gratiam Dei consequuntur, an habendi sint legitimi Christiani, eo quod aqua salutari non loti sint, sed perfuncti.*

5. Hanc trinam immerisionem religiose quidem observarunt Christiani primorum Sæculorum, tanquam ab Apostolis usurpata, non tanquam ad essentiam Baptismi spectantem.

Prima

Prima pars constat ex autoritatibus jam relatis, quam plures refert Gratianus dist. 4. *De Consec.* c. 78. & seqq. ex quibus Can. 50. Apostolorum, qui collecti sunt circa Sæculum V. vult: *Ut si quis Presbyter aut Episcopus non trinam merisionem unius Mysterii celebret, sed semel mergat Baptismate, deponatur.*

Secunda vero ex eo, quod S. Cyprianus in responsoriis ad Magnum ait: *Unde apparet asperionem quoque aquæ instar lavacri salutis obtinere.* Quam resolutionem tanquam suo tempore certissimam amplectitur, & probat S. Augustinus lib. 6. contra Donatistas c. 7. & Walfridus Strabo Sæculo IX. Recte lib. de rebus Eccl. c. 26. scribit: *Notandum autem non solum mergendo, verum etiam desuper fundendo, multos fuisse baptizatos, & adhuc posse ita baptizari, si necessitas sit, sicut in passione B. Laurentii quemdam urceo allato legimus baptizatum.* Ex illatis vero patet Baptismum per infusionem primis Ecclesiæ Sæculis non fuisse usurpatum nisi necessitate exigente; quin Sæculo IX. solos adultos per infusionem fuisse baptizatos testatur idem Strabo L. cit. inquit: *Hoc solet evenire, cum proveliorum granditas corporum in minoribus vastis hominem tingi non patitur.* Et infra magis elucidabitur.

6. Hanc trinam immerisionem Græci ex præscripto suorum Euchologiorum in hodiernum diem observant, quamvis infusione sæpius utantur.

Tellus est Goarius in notis ad Baptismatis Officium N. 24. inquit: *Antiquus immerisionis mos hic connotatus; quamvis infusione nunc sæpius utantur Græci.* Quoad enim licuit observare, puerum sedentem in vase vel pelvi ad cubitum profunda, ter superinfusa non modicæ quantitatis aqua calida purificant. Vel certe ne aquæ copia obruatur, & forte nimiam epotet, primum postum, & sinistra in ventre sustentatum, Sacer-

dos capite & toto corpore salutaribus aquis abluit & lustrat.

7. In Ecclesiæ Latina Sæculo VI. trina & una merio in Baptismate usurpata est, pro diversitate consuetudinum Ecclesiarum.

Id colligitur ex epistola S. Gregorii M. ad Leandrum Hispalensem Episcopum lib. 1. epist. 41. & refertur à Gratiano cit. dist. c. 80. in qua scribit: *De trina merione Baptismatis nihil responderi verius potest, quam quod ipsi sensistis; quia in una fide nihil officit S. Ecclesiæ consuetudo diversa: nos autem, quod tertio mergimus, triduanæ sepulture sacramenta signamus.* — Quod si quis forte etiam pro Summæ Trinitatis veneratione existimet fieri, neque istud aliquid obstitit Baptizandos semel in aquis mergere, quia dum in tribus Personis una substantia est, reprehensibile nullatenus esse potest, infantem in Baptismate vel ter, vel semel mergere. Circa idem tempus Patres Concilii Toletani II. intelligentes inter Sacerdotes summas esse de trina vel simpla merione contentiones, atque Arianos ex trina merione arguere Trinitatem essentia in Personis; autoritate S. Gregorii freti decreverunt Can. 6. *Simplam merionem à Catholicis esse tenendam.*

8. Immerisionis Ritus adhuc Sæculo XIII. fuit communis in Ecclesiis.

Testis luculentissimus est S. Thomas, qui 3. p. q. 66. art. 7. ait: *Tutus esse baptizare per modum immerisionis, quia hoc habet communis usus; constat tamen ex eodem S. Doctore ibidem art. 8. quod eodem tempore Ritus infusionis seu asperionis nonnulli adhibere inciperent.* Qui Ritus nunc in Ecclesiis Latina obtinet.

9. Præter hos Ritus versantes circa materiam Baptismi, forma ejusdem Sacramenti vario Ritu etiam adhibita fuit in Ecclesiis.

Et imprimis notum est, Græcam Ecclesiam cum Latina in forma Baptismi non



non convenire verbotenus, quamvis conveniat in significatione; Latini enim ab immemorabilibus temporibus formam dictam active pronuntiant per verba: *Ego te baptizo*, Græci vero passive per *tō Baptizatur Servus Dei*, ut habet Eucherologium Goarii ordinarium, vel, ut habent Cryptoterrentense, Bellarionis, & Barbarianum S. Marci, *Baptizatur N.* in præsentis indicativo, non *Baptizetur Servus Dei* in conjunctivo, ut in Scholis invaluit. Quantum ad reliquam formæ baptismatis partem quamvis certum sit, Christum apud S. Marcum præcepisse, ut baptizent ad fidem suam accedentes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. eam tamen in Actibus Apostolorum occurrunt testimonia, quæ suadeant Apostolos baptizasse etiam in solo nomine Jesu, ut cap. 2. 8. 10. & 19. Quibus permotus S. Th. 3. p. q. 66. art. 6. quæstionem hypothetice resolvit, inquit: *Ex speciali Christi revelatione, Apostoli in primitiva Ecclesia in nomine Christi baptizabant* (si nimirum baptizabant); quam tamen dispensationem ultra tempora Apostolorum non extendit. Sed cum S. D. quæstionem hanc historice, & consequenter factum istud Apostolorum theoretice non examinaverit, Natalis Alex. cum aliis Eruditis recte negant, Apostolos baptizasse in nomine solius Jesu, dicuntur autem in Actibus Apostolorum in nomine Jesu Christi baptizasse, quod Christi auctoritate, & virtute baptizarent, seu Baptismo instituto à Christo. Quem sensum ex ipsis textibus allatis, atque auctoritate Patrum in dissent. 13. in Sæculum III. evincit; ubi etiam S. Stephanum Romanum Pontificem contra S. Cyprianum imputationes vindicat, quod nunquam decreverit Baptismum in solius Christi nomine collatum validum esse. Non item Nicolaum I. Sæculo IX. sedentem, in responsis ad Consulta Bulgarorum cap. 104. ubi dicit valere Baptisma: *Vel tantum in nomine Christi collatum*; id enim Nico-

laum cursum, obiter, & ex opinione sua singulari dixisse, non ut Pontificem, & Christianorum omnium Doctorem ex eo cum Bellarmino & Estio probat, quod non fuerit consultus circa formam Baptismi, sed an Baptismus à certis Personis collatus validus censendus sit: quorum auctoritate etiam in Scholis 2. Censuræ suorum animadversionem refellit.

10. Præter hos Ritus ab Ecclesia Græca & Latina in administratione materiæ & formæ Baptismatis adhibitos, variez etiam adhibite sunt cæremoniæ ad ejus solemnitate in spectantes.

Diversitatem utriusque Ecclesiæ cæremoniaram perspicere licebit ex relatione ipsarum.

11. Ritus solemnitatis Baptismi in Ecclesia Latina sunt trina insufflatio Sacerdotis in faciem Baptizandi in modum Crucis; impressio Crucis in fronte & pectore Baptizandi, Crucisque crebra iteratio. Exorcismi. Immissio salis in os Catechumeni. Tactus auris Catechumeni cum saliva Sacerdotis. Unctio Catechumeni sacro oleo in pectore & inter scapulas, & chrismate in summitate capitis jam baptizati. Impositio linteoli albi capiti infantis baptizati. Et immissio cerei accensi in manus baptizati.

De insufflatione S. Aug. serm. 1. de Symb. ad Catech. c. 1. N. 2. Non ergo creatura Dei in infantibus exorcizatur aut exsufflatur. Item de peccato Orig. c. 40. Etiam prius in eis exorcizatur, & exsufflatur contraria potestas. Et lib. 2. de Nuptiis & Concup. c. 29. N. 50. Neque enim ex quo esse capit Manichæi pestilentialis doctrina, ex illo caperunt in Ecclesia Dei parvuli baptizandi exorcizari, & exsufflari. Quo loco exsufflationem Baptizandorum in immemorialem consuetudinem Ecclesiæ refundit S. Aug. Et Sæculo IV. Cyrillus Hierosolymitanus: *Exorcismos studiose suscipe, etiam si inspiratus jam & exorcizatus, videlicet in Baptismo. Et ævo S. Aug. id est Sæculo*

V.

V. Cælestinus Papa in ep. ad Episcopos Galliarum: *Illud etiam, quod circa baptizandos in universo Mundo S. Ecclesia uniformiter agit, non otioso contempleremur intuitu, cum sive parvuli, sive juvenes ad regenerationis veniant Sacramentum, non prius vita fontem adeunt, quam exorcismis & exsufflationibus Clericorum spiritus ab eis immundus abigatur.*

De Crucis signatione Catechumenis olim fieri solita ait S. August. lib. 2. de Baptism. parvulor. c. 37. Non uniusmodi est sanctificatio, nam Catechumenos secundum unum suum quemdam modum per signum Christi (hoc est, Crucis) & orationem sub manus impositione putant sanctificari, quod idem repetit pluribus in locis. Et quidem lib. 1. Confess. ubi suæ inter Catechumenos relationis mentionem faciens ait: *Signabar jam signo Crucis ejus.*

Quod Exorcismos in Sacro Baptismo adhiberi solitos attinet, de illis jam Patrum testimonia, agendo de exsufflatione, retulimus.

De sale S. Augustinus Confess. lib. 1. cap. 11. N. 7. testatur: *Signabar jam signo Crucis, & condiebar ejus sale, jam inde ab utero Matris mæ. Idem asserit lib. de Catech. Rudibus c. 26. N. 50. & lib. 2. de peccatorum meritis & remiss. Aditulantur S. Aug. Concil. Carthag. III. An. 397. c. 4. ubi legitur: Item placuit, ut etiam per solemnissimos Paschales dies Sacramentum Catechumenis non detur, nisi solitum sal. Et S. Isidorus Hispal. l. 2. de Officiis c. 20. Exorcizantur autem hi primum: Deinde salem accipiunt, & unguntur.*

De salivæ cæremonia S. Ambrosius lib. de Mysteriis c. 1. N. 3. ita habet: *Aperite igitur aures, & bonum odorem vite eterne inhalatum vobis munere Sacramentorum carpite, quod vobis significavimus, cum apertionis celebrantes Mysterium diceremus, Epheta, quod est, adaperire. Et N. 4. Hoc Mysterium celebravit Christi*

Tom. II.

stus in Evangelio, sicut legitur, cum mutum curaret & surdum. Et lib. 1. de Sac. c. 1. N. 2. Ideo ergo tibi Sacerdos aures tetigit, ut aperirentur aures tue ad sermonem, & ad alloquentium Sacerdotis.

De olei unctione ante Baptismum adhibita S. Cyrillus Hierosol. Catech. 2. Mystag. Exuti exorcizato oleo à summis capillis ad infimos usque peruncti estis. S. Ambrosius lib. 1. de Sac. c. 2. N. 4. *Veniunt ad fontem, ingressus es, occurrit tibi Levita, occurrit Presbyter, unctus es quasi Athleta Christi. Pro Chrismatione vero post Baptismum susceptum lib. 1. tit. 15. N. 11. retulimus testimonium Innocentii I. & Concilii Arausiacani Sæculo V. celebrati. His adicio vetustiora Tertulliani de Bap. c. 7. Exinde egressi de Lavacro perungimur benedicta unctione de pristina disciplina, qua ungi oleo de cornu in Sacerdotium solebant. S. Cyprianus: *Ungi quoque necesse est eum, qui baptizatus sit. Sed de hac Chrismatione infra uberius, cum ritus Græcorum referemus. Eandem cæremoniam commemorat S. Ambrosius lib. de Myst. c. 6. N. 29.**

Linteolum album reliquia est velis alba, qua induebantur Neo-baptizati, & quam deposuerunt in Dominica prima post Pascha, quæ usque ad hodie dicitur Dominica in Albis. Et de hac cæremonia pleni sunt Patrum sermones.

De Cereo S. Cyrillus Hierosolym. Catech. 1. init. *Qui fidei lampades nuper accendistis, nunc non exstinctas easdem manu tenendo custodite.*

12. Græcam Ecclesiam cum Latina in allatis cæremoniis conspicalis, patet ex testimoniis Græcorum Patrum, quæ cum Latinis mox adduximus.

Hic ordine referam actum Baptismi à Græcis solemniter exerceri solitum, prout exhibetur ab eorum Eucherologio apud Goarium. Itaque dum Sacerdos venit ad piscinam baptismatis, insufflans in aquam, Cruce illam signat, & orationum adijcit.

Sss

2. Ter



2. Ter in vas olei insufflat, illudque ter Cruce signat, quod tenet Diaconus, orationemque subiungit. 3. Cum Populo ter Alleluja decantat, tres Cruces, oleo in aqua effuso, facit. 4. Post exclamationem à Sacerdote factam offertur baptizandus; & Sacerdos accepto oleo Sanctæ Crucis figuram exprimit in ejus fronte, & in pectore, & in dorso, in auribus, in pedibus, in manibus. 5. Unctio vero toto corpore baptizat eum Sacerdos, erectum illum tenens, magnæ prolatione demergens, & deducens eum ex aqua. 6. Peracta Baptismi actione lavat se Sacerdos, baptizatumque sub certa verborum forma suis involucribus inducit, & post orationem & exclamationem baptizatum S. unguento ungit, Crucis signum faciens in fronte, & in oculis, & in naribus, & in utraque aure, & in pedibus, dicens: *Signaculum domini Spiritus S. Amen.* Deinde cum Susceptore & puero in circuli modum procedit Sacerdos sub cantu, deinde legitur ex ep. ad Romanos: *Frates quicumque baptizati sumus, &c.* & Evangelium sec. Matth. In illo tempore undecim Discipuli obierunt in Galileam in montem, &c. Postea fit protensa precatio, & demissio. In his caeremoniis Baptismi Græcorum nihil occurrit de sufflatione, Crucis signatione, & Exorcismis Latinorum; sed notandum, Græcos has caeremonias applicare in oratione ad faciendum Catechumenum sive adultum, sive parvulum, in qua habetur: *Et in faciem ejus ter insufflat, terque faciem, & pectus ejus Cruce signat, & manu ejus capiti imposita dicit, In nomine tuo Deus, &c.* Post quam orationem sequuntur Exorcismi; de saliva vero, sale, ac cereo, cujus tamen meminit Cyrillus P. Græcus, nihil habent Euchologia Græca, sicut & de linteo albo, nisi velimus hanc vestium veterum baptizatorum memoriam Græcos per involucria parvulorum supplere. In Variantibus Lectionibus apud Goarium legimus, quod Sacerdos

puero post baptismum cucullam imponat. Ex his ergo per combinationem deprehendit Lector, quemadmodum in caeremoniis solemnitatibus Baptismi Ecclesia Latina cum Græca de facto conveniat, accidentalesque differentias in applicatione earum caeremoniarum, in quibus conveniunt, dignoscet. Hic animadvertendum, Græcos ad singula baptismata fontem baptismalem benedicere, quod Latini non faciunt. Secundo, Græcos per unctionem baptizatorum ipsis conferre Sacramentum Confirmationis, Latini vero per Chrismationem capitis nequaquam hoc intendunt. Græcos vero & censere, & intendere conferre per illam unctionem Sacramentum Confirmationis, ad cujus applicationem dicunt: *Signaculum domini Spiritus S. Amen;* evincit Goarius in notis ad officium S. Baptismatis N. 28. primo ex Romanæ Ecclesiæ sensu, quæ ita signatos pro confirmatis tenet; secundo ex totius Orientalis Ecclesiæ fide, quæ nobiscum contra Novatores septem Ecclesiæ Sacramenta constantissime defendit, ac inter ea Confirmationem, quam hac Chrismate se conferre consistetur, &c. Meritoque fugillat quosdam Theologos Catholicos, qui dicere ausi sunt, Græcos quidem hoc Sacramentum non negare, sed vel eo nunc semetipsos orbasse, vel illud ad Ecclesiæ mentem non recte administrare, innixi Scholastico illo argumento, quod ejusdem materia sit manuum impositio; cum tamen omnia Græcorum Ritualia tam antiqua, quam recentiora hujus manuum impositionem ne semel quidem meminerint, sed constanter hujus Chrismationis. Certe Can. 9. II. œcumenicæ Synodi, in Euchologio Goarii pag. 273. relatus, Hæreticos non rite baptizatos vult rebaptizari, rite vero baptizatos solum hoc Chrismate ungi, id est, confirmari. Unde Recentiores non pauci Theologi ex defectu notitiæ Historiæ Ecclesiasticæ non semel lapsi sunt in suis scholasticis alterationibus.

cationibus circa materias & formas Sacramentorum, quod videri licet in materiis & formis Ordinum lib. 1. tit. 11. N. 16. quasi vero Christus omnium Sacramentorum materias & formas atome determinasset. Hinc pro majori illustratione revolvatur tit. 15. ejusdem libri §. 2. & 3. videantur etiam inferius dicenda de Catechumenis.

13. Utriusque Ecclesiæ caeremoniæ circa solemnitatem Baptismi sunt antiquissimæ, & rationabiles, & consequenter à Protestantibus irrationabiliter rejectæ.

Prima pars, quantum ad earum antiquitatem, patet ex dictis N. 11. cum Patres Sæculi II. III. IV. earum mentionem faciant, tanquam per Traditionem acceptarum: qui Patres cum fuerint per Asiam, Africam, & Europam dispersi, signum est, plerasque illas caeremonias sub ipsis Apostolorum temporibus incepisse. Rationabiles vero sunt, tum quia effectum spirituale habent, tum quia natæ sunt & Baptizatorum & adstantium mentes ad varios pietatis affectus excitare, tum quia sunt signa eorum, quorum baptizati in executione propositi in Baptismo suscepti cum fructu spirituali reminiscantur; uti testantur iidem Patres. Et quidem quod exsufflationem attinet, S. Aug. serm. 1. de Symb. ad Catech. c. 1. ait: *Sicut nobis, & parvuli exsufflantur, & exorcizantur, ut pellatur ab eis Diaboli potestas inimica, qua decipit hominem, ut possideret homines.* Quin non dubitat S. Pater ex hac Ecclesiæ caeremonia contra Pelagianos probare existentiam peccati originalis. Et Christum legimus exsufflasse in discipulos, dum eis daret Spiritum S. & exorcizasse energumenos. Crux vero in fronte baptizandi imprimitur, ut Crucem Christi non erubescat, in pectore, ut illam diligit; sæpiusque iteratur, ut significetur, baptismum vim omnem habere à Cruce Christi. Si autem quarant Protestantes, cur Exorcismi

mi adhibeantur in iis, qui domi jam baptizati sunt? iis responderetur, non ut ab eis expellatur diabolus, sed ut arceatur, ne ad eos accedat, ne eis noceat. Sales autem in Ministerio Catechumenis dandos Patres decrevere: *Ut eorum gustu condimentum sapientia percipiant, neque dissipentur à sapore Christi, nec sint fatui, & retro respiciant;* inquit S. Ambrosius supra relatus: seu ut significetur gratia, quam dat Christus ad ferendos labores, ad sustinenda prælia vitæ Christianæ: item ad tollendum suave jugum Christi, cui se submittit Catechumenus. Nec turpitudinem in eo quarant Protestantes, quod Græci totum corpus inungant, hoc enim Ministerium subibat apud fœminas Diaconissæ, uti monstravimus Lib. 1. Tit. 11. N. 35. & quidem decentissime, quæ etiam Mulierum corpora in ipso Baptismo caute & decenter nudabant. De veste alba, in cuius locum successit linteolum, inquit S. Ambrosius lib. de Myst. cap. 7. N. 34. *Acceptisti post hæc vestimenta candida, ut esset indicium, quod exueris involucrium peccatorum, indueris innocentia casta velamina.* Cereus vero datur baptizatis, ut reminiscantur, se aliquando fuisse tenebras, nunc autem lucem in Domino, quibus incumbat ut filios lucis ambulare, ad Ephes. 8. Unde Cyrillus supra laudatus: *Qui fidei lampades nuper accendistis, nunc non extinguas easdem manu tenendo custodite.* Nec obest, quod infantes nihil de his caeremoniis advertant; sufficit enim, si secum factas fuisse, dum veniunt ad usum rationis, erudiantur. Tunc enim effectum caeremoniæ rationalis & utilis in ipsis producere possunt. Sufficit præterea, quod utilitatem ac reverentiam erga augustum regenerationis Sacramentum in adstantibus de se natæ sint producere.

Unde apparet, quod nonnisi temere & irrationabiliter à Protestantibus sint rejectæ. Legant ea, quæ Lib. 1. Tit. 8.



N. 29. & seqq. ex ipsis minime suspecto Barone Wolfo de necessitate ac utilitate caeremoniarum retulimus, & erubescant caeremonias Ecclesiae cum ipsa natus cavillare; praesertim cum ipse Christus signis externis seu caeremoniis nostram interiori sanctificationem alligare voluerit, dum Sacramenta instituit.

14. Quamvis necessitate urgente baptismus olim omni tempore conferri potuerit, communis tamen Ecclesiae utriusque usus habuit, ut tam parvulus, quam adultis in diebus Paschatis & Pentecostes conferretur.

Primam partem docet Tertullianus inquit: *Ceterum omnis dies Domini est; omnis hora, omne tempus habile baptismi; si de solemnitate interest, de gratia nihil refert.*

Qui & ibi secundam partem tradit, *Diem, ajens, baptismum solemniorum Pascha praestat, — exinde Pentecoste ordinandis lavacris latissimum spatium est.* Concordant pro Ecclesia Graeca S. Basilii, Gregorius Nyssenus, Chrysostomus.

15. Haec consuetudo tanquam Apostolica institutio tenacius manutenta est in Ecclesia Latina, & quidem usque ad Saeculum XIII.

Id constat primo ex ep. Siricii Papae, qui Saeculo IV. in ep. ad Himerium c. 11. usum administrandi Baptismi solemnem extra tempora Paschatis & Pentecostes vocat improbabilem, & emendandam consuetudinem: *Cum hoc privilegium sibi & apud nos, & apud omnes Ecclesias Dominicum specialiter cum Pentecoste sua Pascha defendat.* Secundo ex ep. 4. S. Leonis Papae ad Episcopos Siciliae; ubi scribit eos, quod in die Epiphaniae solemnem baptismum conferrent, ab Apostolica institutionis consuetudine discrepare; solos Paschatis & Pentecostes dies baptizandis in Ecclesia electis secundum Apostolicam regulam praescriptos. Idem testantur Scriptores alii S. Leone posteriores, variaeque Concilia, inter quae

Maticonense 2. An. 585. c. 3. *Infantes ipsos, extra legitimum Baptismi diem, id est extra Pascha, in Natalitii Martyrum prohibet baptizari, nisi periculum imminet.* Quod idem statuit Londinense in Anglia An. 1237. &c.

16. In privatis tamen quibuscumque Ecclesiae baptismus etiam in Natali Domini, in Epiphania, & in Festo S. Joannis Baptista conferbatur.

Et quidem baptismum in sua Ecclesia in festo Epiphaniae conferri solitum testatur S. Gregorius Naz. Oratione 39. in Sancta Lumina, & Oratione 40. ubi ait: *Non tantum te demittes, quantum Christus, cui hodie baptizaris.* Et pro hoc omnium Ecclesiarum Orientalium usu militat majoris aquae benedictio, solemniori ritu Baptismo apud Orientalem Ecclesiam perficiendo destinata, benedictio & consecratio die Epiphaniae facta, de qua S. Chrysost. Oratione de bapt. Christi & Euthologium à Goario editum. Africanam pariter Ecclesiam die Epiphaniae baptismum solemnem administrasse, constat ex facto S. Eugenii Episcopi Carth. qui baptismum ea in festivitate pro more administrans caecum quemdam illuminavit, teste Victore Vitenli lib. 11. *De persecutione Wandolica.* Ex Baptismo quoque Clodovei contra P. Nicolai evincit Nat. Alexander, Ecclesiam Gallicanam in Natali Domini olim administrasse baptismum; quod, sicut & de die Natalis S. Joannis Baptista testatur Gregorius Turonensis lib. 8. Hist. Francorum c. 9. De Anglia quoad Natalem Domini Saeculo VI. testatur Gregorius M. lib. 7. ep. 30. Id ipsum in Hibernia sub S. Patricio factitatum legimus in ejus Synodo c. 19. Ex quibus omnibus apparet, usque ad Saeculum XIII. certos fixosque dies pro conferendo baptismate constitutos, Pascha quidem & Pentecoste communiori Ecclesiae disciplina, his Natalem Domini, Epiphania, & Nativitatem S. Joannis Baptista à quibusdam Ecclesiis adjunctos; qui

qui mos ad usque nostra tempora successively exolevit.

17. Circa subiecta Baptismatis seu homines baptizandos duae in Ecclesia subinde ortae sunt controversiae, legitima Ecclesiae definitione terminatae.

Prior fuit circa rebaptizationem eorum, qui ab Haereticis baptizati fuerant, agitata inter Stephanum Romanum Pontificem & S. Cyprianum cum Africanis, ac Firmilianum cum Asianis Episcopis; qui pretendebant baptizatos ab Haereticis esse rebaptizandos, quibus tanquam murum inexpugnabilem opposuit Stephanus immemorabilem Ecclesiae consuetudinem de Haereticis non rebaptizandis; quem tamen in oppositum Cypriano errorem non esse lapsum, existimando baptizatos ab Haereticis universaliter non esse rebaptizandos, hoc est, etiam baptizatos ab iis Haereticis, qui non adhibuerunt debitam formam in baptismo, ut non solum quidam ex Haereticis, sed etiam ex Catholicis temere existimant, disert. 14. in Saeculum III. quo haec controversia orta est, evincit Nat. Alex. & vel ex hoc solo constat, quod Stephanus antiquam Ecclesiae traditionem manutenuerit, quae certe non docuit Haereticos universim non esse rebaptizandos. Ceterum nec S. Cyprianus haereticus aut schismaticus ob dogma erroneum censendus est, cum illud solum ut dogma disciplinae defenderit. Vide Natal. Alexandr. Porro Canon 7. secundae Synodi Oecumenicae seu Constant. I. An. 381. sancit, quomodo ex haeresi conversos recipere oporteat, dum ait: *In duas namque series cunctis distributis, hos quidem Christum ungi, alios vero denuo baptizari. Arianos quidem, & Macedonianos, & Sabellianos, & Novatianos, qui se ipsos Catharos & Aristeros, hoc est, mundos & sinistros dicunt, & Tessaes decatias, sive Tetraditas, & Apollinaristas, siquidem ex aequo nobiscum divino perficiuntur baptismate, rursus baptizandos non*

*censet.* — Eunomianos, qui in unam immersionem baptizantur, & Montanistas, qui dicuntur Phryges, & Sabellianos, qui eundem esse Patrem ac Filium opinantur, aliosque hos similes — ad Catholicam accedentes Ecclesiam sancte praecipit baptizari. Altera est circa paedobaptismum seu baptismum parvulorum, quem parvulis ante rationis usum conferri posse Saeculo XII. negabant Waldenses, Petrobusiani, Cathari, quorum errorem suscitavit ac propagavit Saeculo XVI. Anabaptistae: qui omnes constanti Ecclesiae traditione resutantur.

18. Parvulorum baptismum ab ipsis Ecclesiae incunabulis constanter adhibitum fuit, tanquam res licita & congrua.

Propositio constat ex Testimoniis Patrum primorum Saeculorum, inter quos Auctor libri de Eccl. Hierarchia, qui probabiliter est S. Dionysius S. Pauli Discipulus, cap. ult. ait: *Divina ac Spiritus generationis participes fieri etiam pueros, qui nondum divina Mystra percipiunt.* Irenaeus Saeculi II. Auctor lib. 2. adv. haereses cap. 39. *Omnes aetatem Dominus sanctificat; — omnes, inquam, qui per ipsum renascuntur in Deum, infantes, parvulos & pueros & juvenes & seniores.* Similia habet Origenes in c. 6. ad Rom. & Homil. 8. in Levit. S. Cyprianus ep. 59. ad Fidum, Chrysost. hom. ad Neophytos, S. Ambrosius lib. 11. de Abraham c. 11. & alii omnes; ita ut S. Aug. serm. 11. de verbis Apost. merito dicat: *Hoc Ecclesia semper habuit, semper tenuit: hoc à majorum fide percepit: hoc usque in finem perseveranter custodit; haecque traditione existantiam peccati originalis contra Pelagianos, qui illam nec negabant, nec negare poterant, invictè demonstravit.* Atque hac ipsa traditione Anabaptistarum haeresis preemtorie petitur, quae claro divini eloquii textu omnino refelli nequit: ita ut reliqui Protestantes velint nolint hoc in capite traditionem Divi no-



Apostolicam admittere debeant, qua expliceantur textus illi Marci ult. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit: & Actor. 15. v. 28. Penitentiam agite & baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum: & Matth. ult. Euntes docete omnes Gentes, baptizantes eos; &c. quos si spiritus privatus explicet de prae requisitis in baptizandis fidei, penitentia, & catechizatione, quorum omnium incapaces sunt parvuli, facile intelliget. Admittere debent praeterea infallibilitatem Ecclesiae visibilis, quae hos textus intelligendos ait de adultis, non de parvulis, quod sane Scriptura nullibi clare edicit.

19. Quamquam vero constans Ecclesiae fides est, parvulos posse baptizari, & si periculum mortis instaret, etiam de necessitate salutis esse baptizandos, per quinque tamen fere saecula multi differrebant diu baptismum, & hoc ob varias causas.

Hos inter fuit ipse Constantinus M. qui Christum agnovit An. 312. & tamen, si Baronio credimus, primo baptizatus est Romae An. 324. si vero Eusebio, aliisque, prope vitae suae finem Nicomediae An. 337. Patris exemplum secutus est Constantius S. quoque Ambrosius paulo ante ordinationem Baptisma suscepit. Augustinus vero A. aetatis 33. similiter S. Paulinus A. aetatis 42. &c.

Præcipuam causam dilationis baptismatis insinuat Tertullianus de bapt. c. 18. iniquiens: Itaque pro cuiusque Personae conditione, ac dispositione, etiam etate cunctatio Baptismi utilis est. Quid enim necesse est, si non tam necesse, Sponsores etiam periculo ingeri? qui & ipsi per mortalitatem destituerunt promissiones suas possunt, & proventu male indolis falli. Ait quidem Dominus, Nolite illos (parvulos) prohibere ad me venire. Veniant ergo dum adolescunt, veniant dum discunt, dum quo veniant ducentur, fiant Christiani, cum Christum nosse potuerint.

Quid festinat innocens etas ad remissionem peccatorum? Qui locus non faveat Anabaptistis; narrat enim aperte Tertullianus sua aetate, hoc est, saeculo II. & III. baptismum conferri solitum parvulis per fidem Sponsorum, sed vult illum rationabilis conferri fidem proprio ore confiteri valentibus, nisi adsit necessitas; si autem per ultima verba intendat auferre existentiam peccati originalis, deserendus est, quam tamen alibi agnoscit. Et hinc etiam Gregorius Naz. Oratione 40. Triennium, aut aliquando brevius aut longius temporis spatium, quo tingendi audire aut respondere possint, & si minus plane & exacte intelligant, imbuui tamen & informari, requirit. Altera hujus dilationis causa fuit haeresis Novatiana, quae salutem eos consequi posse, qui post receptam Baptismi gratiam mortaliter deliquissent, negabant. Tertia causa fuit voluptuosa quorundam vita, quam Baptismi freno stringere volebant. Fuerunt & aliae differendi baptismatis causae, timor nimirum, ne in parvulis sub Paganorum aut Haeticorum tyrannide ab Ecclesia divulsis Sacramentum afficeretur injuria; suborta in Episcoporum exilio laxatio disciplinae, & adultorum socordia, ipsorum denique negligentia baptizandorum. Ex textu Tertulliani etiam constat, Patrios in baptismum fuisse adhibitos, de quibus egimus lib. 4. N. 127. & seqq.

20. In baptizandis iis, de quibus dubitabatur, an baptizati essent, ante saeculum XIII. nulla fuit ex disciplina Ecclesiae adhibita conditio.

Id testantur Patres Concilii Carth. An. 398. celebrati, qui occasione infantium, quos Episcopi Mauritaniae à Barbaris redimebant, statuerunt Canone 6. Ut cum baptizatos esse infantes nullo testimonio constaret, neque ipsi per aetatem essent idonei, qui de traditis sibi Sacramentis responderent, absque hesitatione & scrupulo baptizarentur. Quam disciplinam non

non Africana tantum, sed & Romana Ecclesia secuta est, ut constat ex ep. 92. S. Leonis, & ex Santo Gregorio Magno libro 12. ep. 31. ex Gregorio III. Epist. 14. Eandem viguisse disciplinam in Ecclesia Gallicana ex Capitularium lib. 7. c. 302. compertum est. Pro Anglia vero id constat ex Collectione Conciliorum Anglicanorum inter excerpta Egberti c. 41. ex Concilio Eboracensi An. 1194. & ex Londinensi An. 1200. Alexander ergo III. Pontifex Maximus, qui sedere cepit An. 1159. primus hunc baptizandi sub conditione morem inivit. Ejus decretum refertur cap. 2. de baptis. post quod nihilominus mos ille non ubique obtinuit, ut constat ex scriptis Magistris Sententiarum, Petri Pictaviensis, & Petri Cantoris, propugnantium nullam esse appendendam conditionem; quemadmodum ex eadem Veterum praxi quidam nunc propugnant non esse dandam absolutionem Sacramentalem sub conditione: quae sententia videtur impugnari posse ex mutatione disciplinae circa collationem Baptismi in Ecclesia.

21. Plures primitus fuerunt eorum, qui ad Baptisma disponebantur, classes sive ordines, in quibus sensim ad Christianismum & baptismum disponebantur, & gradatim quasi ascendeant.

Illi generali divisione partiiri possunt in Rudes ac Catechumenos. Rudes illi dicebantur Pagani, qui, dum desiderium monstrarent se convertendi ad Christum, primum privatim in domo circa vanitatem & superstitionem paganismi, nec non circa prima Christianismi principia ac fundamenta instruebantur; quod munus Diaconi, & alique inferiores Clerici obibant. In quorum gratiam S. Augustinus elegantem illum tractatum de catechizandis rudibus conscripsit. Catechumeni autem dicebantur illi, qui jam publice instituebantur, & quidem ita dicebantur ab audiendo; quia, ut ait S. Hieronymus lib. de origine vocum cap. 14. Ca-

techumenus dictus pro eo, quod adhuc doctrinam fidei audit, necdum tamen baptismum percepit. Quapropter & à Latinis Patribus Catechumenus passim Auditor, sive Audiens appellatur.

22. Catechumeni olim dividebantur in Audiens, Genuflectentes, & Competentes.

Audiens illi dicebantur, qui post instructionem privatam ad publicas instructiones, quae in Ecclesia per Episcopum habebantur, accedere poterant.

Genuflectentes fiebant Catechumeni audientes, postquam in priore ordine aliquo tempore perseverassent, & in excipiendis instructionibus diligentes fuissent, animique ad suscipiendam fidem Christianam testati essent. In hoc ordine participes fiebant confortesque orationum, & exorcismorum, qui super Catechumenos fundebantur; quem in finem in genua in ipsa Ecclesia procumbebant, unde Orantes vel Genuflectentes dicti sunt. Duplicis hujus ordinis Catechumenorum mentionem facit Canon 5. Neocæsariensis Concilii saeculo IV. celebrati, qui ex versione Gentiani Herweni ita habet: Catechumenus si in Dominicum ingrediens in Catechumenorum ordine steterit, is autem peccat: si genu quidem flectens, audiat (hoc est, in ordinem Audientium iterum retrudatur); sin autem etiam audiens adhuc peccet, extrudatur (ab Ecclesia Catholica.) In eundem sensum accipiendus est Canon 14. Nicænus: De Catechumenis, & qui lapsi, visum est & S. Magnæ Synodo, ut ii tribus tantum annis audientes, postea orent cum Catechumenis. Insuper hic observant Canonum Commentatores, Cathecumenos audientes, sive primi Ordinis tantum potuisse lectioni Scripturarum interesse, ac ea finita mox exire debuisse; at vero Genuflectentes mansisse quoadusque à Diacono decederetur: Quicumque Cathecumeni decederet.

Dum Catechumeni convenienti tempore



more in hisce gradibus essent exercitati, judicarenturque idonei, qui baptismum recipere possent à suis Catechistis, qui ipsos per hoc tempus instruebant, moribusque eorum invigilabant, ad Episcopum ducebantur, qui testimonium de eorum scientia & vita reddentes, ac quodammodo spondentes (unde *Sponsores & Fidejussores* dicti) illos ad baptismum presentabant; quo tempore Catechumeni una nomina sua dabant; ut nimirum annotarentur inter illos, qui jam proxime ad suscipiendum baptismum erant destinati seu electi, postquam nominum dationem vocabantur *Competentes*, ac etiam *Electi*. De hac nominum datione frequens in pristinis Canonibus & Patribus mentio occurrit: Baptizandi nomen suum dent, ac diu sub abstinentia vini & carni ac manibus crebra impositione examinati baptismum percipiant, ait Synodus Carth. 4. c. 85. S. quoque Augustinus multis locis dationis nominum meminit, atque signanter libro de fide & operibus, ubi ait: Quod autem fit per omne tempus, quod in Ecclesia salubriter constitutum est, ut ad nomen Christi accedentes Catechumenorum nomen accipiant; hoc fit multo diligentius & instantius his diebus, quibus Competentes vocantur; cum ad percipiendum baptismum sua nomina jam dederunt. Ad hanc vero ultimam classem per Crucis signum & manus impositionem recipiebantur, teste S. Augustino lib. de catechizandis rudibus c. 26. ubi ex professo dicit, quod postquam Catechizatus est instructus, an quæ audivit credat, atque observare delideret; quod si responderit, solemniter utique signandus est, & Ecclesie more tractandus. His itaque Catechumenis non tantum prima Religionis fundamenta sive elementa tradebantur, sed obstruora etiam Mysteria, quæ passim Infidelibus occultabantur. Atque imprimis Fidei Symbolum competentibus tradebatur, & exponebatur, quod memoriter discabant,

& in ipso baptismate reddebant. Porro sicut Catechumeni per Symboli recitationem publice profitebantur suam fidem, ita quoque vitæ suæ depurationem testabantur renuntiando publice diabolo. Hunc renuntiandi morem ex traditione ad nos manasse asserit S. Basilii lib. de Spiritu S. c. 27. de ipso quoque legendus est S. Ambrosii libro de initiandis c. 7. S. Hieronymus, &c. Atque ex his omnibus videmus primo originem hodierni Catechismi, qui inter ceremonias Baptismi reponitur, eumque fuisse primitus verum Catechismum seu instructionem Catechumenorum, vel Baptizandorum. 2. Originem alterius ritus, quo in Rituali Romano præscribitur, ut post factam exorcizationem & varias preces suas super infantem, tandem præviæ ad introductionem in Ecclesiam, Sacerdos signet infantem in fronte signo Crucis, & manus imponat super caput ejusdem. 3. Quod hodie ad præscriptum Ritualis Romani cum fuerint ingressi Sacerdos, infans, & Susceptores, Sacerdos procedens ad fontem cum Susceptoribus conjunctim clara voce dicat Symbolum. Si autem adultus fuerit baptizandus, tunc is cum Sacerdote illud recitet. 4. Originem illius fidei professionis, quam hodie immediate ante baptismum ad interrogationem Sacerdotis facit baptizandus per se, si sit adultus, per Susceptores vero, si fuerit infans. 5. Originem hodiernæ renuntiationis, quam Catechumenus vel per se, vel per Susceptores ad interrogationem Sacerdotis pronuntiat.

23. Quo tempore & die nomina danda essent, varia fuit pro varietate temporum & Ecclesiarum disciplina.

Initium quadragesimæ primitus ad hoc ordinatum fuisse non obscure innuit S. Augustinus Serm. 13. ad Neophytos. Sub idem tempus ad Episcopum Tarraconensem scribit Siricius: Generalia baptismatis tradi convenit Sacramenta his dumtaxat electis, qui ante 40. dies nomen dederint,

rint, & exorcismis, quotidianisque orationibus atque jejuniis fuerint expiati. In Ordine Romano, qui circa tempora Gregorii M. exaratus creditur, hoc tempus ad quartam feriam hebdomadæ quartæ quadragesimæ contractum est; uti videre est sub Titulo de denuntiatione Scrutinii ad Electos. De hac varietate consule Notas ad sermonem 212. Augustini in edit. noviss. Parisiensis.

24. Ritus speciales, quos Græci in faciendis Catechumenis adhibent, recensentur in eorum Euchologio.

Ibidem apud Goarium pag. 274. habetur. 1. Baptizandi zonam Sacerdos solvit, & exutum excalceatumque ad Orientem statuit, discinctum, nudo capite, & absque calceamentis, demissas manus habentem, & in faciem ejus ter insufflat, terque faciem ejus & pectus Cruce signat, & manu ejus capiti imposita dicit. Sequitur oratio & exorcismi; post hos insufflat Sacerdos in os, in frontem, & in pectus pueri tera vice, dicens brevem orationuculam; exclamat postea, & exutum discalceatumque baptizandum convertit ad Occidentem manus in altum protendentem, & ait ter: Abrenuncias sathane &c. hocque ter dicitur; respondente Catechumeno vel Susceptore: Abrenuntio. Et cum ter hoc dixerit interrogat rursum Sacerdos baptizandum, Abrenuntiasti Sathane, & responso accepto, Abrenuntiavi, per tres vices, ait Sacerdos: Insuffla igitur & expue in illum. Et hoc illo faciente, vertit illum Sacerdos ad Orientem, demissas habentem manus, & dicit ei Sacerdos ufque tertio: Conjungaris Christo? & respondet Catechumenus vel Susceptor, dicens etiam ter, Conjungor. Deinde rursum ei dicit Sacerdos: Conjunctus es Christo? & respondet, Sum conjunctus. Et iterum ait: Et credis in eum? & dicit, Credo in illum ut Deum & Regem meum. Et dicit, Credo in unum Deum, &c. Et cum Sacrum Symbolum absolverit, ter rursum ei dicitur.

Tom. II.

cit: Conjunctus es Christo? &c. respondente ad interrogata singula Catechumeno, aut Susceptore, ut dictum est. Interrogato vero ufque tertio etiam Sacrum Symbolum recitante, tertio tandem interrogat: Christo conjunctus es? & respondet, Conjunctus sum. Et dicit Sacerdos: Adora ergo illum; & adorat dicens: Veneror Patrem, & Filium, & S. Spiritum, consubstantialtem & individuum Trinitatem. Deinde dicit Sacerdos: Benedictus, Deus &c. Has ceremonias egregie commentatur & explicat Goarius pag. 284. qui ait Græcos Ritus excalceationis, exutionis, &c. eo quo possunt modo, infantibus applicari; refellitque N. 12. Vicecomitem lib. 2. de Bapt. c. 18. scribentem, Catechumenos exorcismis pronuntiat demoni renuntiaturos, nudos penitus stetit, atque ad hanc rem Nicetæ Chroniæ, & Zabuilonis Æthiopis, quin Dionysii de Eccl. Hier. testimonium trahentem, dicens: Verum Ruperti Lincolnienfis auctoritas, & utriusque Ecclesiæ Latine simul & Græcæ modernus laudatusque usus in eam nos inclinat sententiam, ut non omnino nudos, sed retenta interula, vestes dumtaxat exteriores, ex quarum cultu superbit homo, à se rejecisse in exorcismis opinemur: nam Christiana modestia id exigit tum in adultis, tum maxime in mulieribus; -- unde & ut decore procederet mulieres, socias & adiutrices in Baptismi officio Diaconissas habuisse, ostensum est supra, nosque superius indicavimus.

25. Baptizati è fonte baptismatis educti Neophyti vocabantur, & vestibus albis induebantur, quas per septem dies retinebant; id est, in Sabbato S. egredientes de fonte baptismatis induebantur, & Sabbato sequenti deponabant.

Infinita sunt penes omnes omnium Sæculorum tam Latinos, quam Græcos Scriptores hujus rei testimonia, ex quibus colligimus vestem hanc totum corpus

Ttt

pus



pus baptizati texisse, ac propterea baptizatos exteriori habitu totos albos & candidos apparuisse; hinc enim à Patribus vocantur *albi, candidi, nivei*. Hinc etiam Christiani illos septem dies *albos* dixerunt, teste Rabano lib. de Instit.

Cler. c. 39. eo. quod Neophyti vestem illam candidam integro illo tempore tantum ordinariam & vulgarem non tantum in Ecclesia, sed ubique portarent, teste Vicoomite libro cit. c. 14.

## TITULUS XXXVIII.

### De Pœnitentiis & Remissionibus.

**P**ræsentem Titulum ad Rubricæ amissum in septem Paragraphos dissecemus. In primo agemus de Pœnitentia, qui simul exhibebit dissertationem de genatiam, quod Pœnitentia sit verum novæ Legis Sacramentum. In secundo agemus de Confessione secundum se, qui simul exhibebit dissertationem dogmaticam de ejus necessitate ad salutem consequendam ex præcepto Christi. In tertio agemus de Confessione publica & privata. In quarto de Absolutione. In quinto de Satisfactione. In sexto de Pœnitentiæ Ministro. In septimo de Indulgentiis.

#### §. I.

De Pœnitentia, & an sit verum novæ Legis Sacramentum?

**S**acramentum Pœnitentiæ varia subinde nomina sortitum est in Ecclesia.

Primo namque appellatum est *Sacramentum Reconciliationis* ab effectu. 2. *Sacramentum Confessionis* à parte conspicua. 3. *Sacramentum Absolutionis* ab actu Sacerdotis. 4. In Concilio Carth. IV. c. 76. *Manuum impositio* à cerimonia externa; atque ut subinde à Confirmatione, quæ etiam per manus impositionem fiebat, sequeretur, etiam dictum est *manuum impositio reconciliatoria*, ut habet Conc. Araus. I. Can. 3. 5. *Communicatio*

sive *communio & pax*. 6. *Secunda post naufragium Tabula*, Trident. Sess. 6. cap. 14. 7. *Laboriosus baptismus* idem Trident. Sessio 14. c. 2. 8. Denique & olim & hodie frequentius & ulitatus aptissimeque dicitur *Sacramentum Pœnitentiæ*, & à Græcis *Sacramentum metanias*, hoc est, *resipiscentiæ*, à duabus nempe ejus partibus principalibus, consilii nimirum sive sententiæ mutatione, & animi dolore propter factum aliquod. Et hinc Gratianus dist. 3. de *Pœnit.* c. 4. definitionem Pœnitentiæ à Canonistis & Theologis communiter probatam elicit: *Pœnitentia itaque est vindicta semper puniens in se, quod dolet commississe*. De cantata in Scholis est divisio Pœnitentiæ in Virtutem, & Sacramentum; prout Virtus est, complectitur animi dolorem cum emendationis proposito, ac satisfactione, atque hanc pœnitentiam omnibus in peccatum grave lapsis esse necessariam in ordine ad reconciliationem cum Supremo Numine agnoscunt non solum omnes Christiani, etiam Novatiani Tit. 7. N. 16. verum etiam omnes aliæ Religiones, ac ipsi olim Ethnici ex præscripto luminis naturæ agnoverunt. Hæc eadem vero virtus in lege gratiæ elevata est in Sacramentum, seu facta est materia Sacramenti, cui si accedat absolutio Sacerdotis legitimi, ex his duobus tanquam ex materia & forma fit Sacramentum, quo solo vel in re vel in voto habito conceditur in eadem lege gratiæ remissio

sio peccatorum, ut docent Catholici. Longe vero aliter de omnibus his sentiunt Novatores, contra quos jam procedendum.

3. Pœnitentia, que in veteri Testamento fuit sola virtus, in novo per Christum elevata est in verum Ecclesiæ Sacramentum.

Hanc Catholicæ Ecclesiæ veritatem non negavit Montanus & Montanista, neque Novatiani, utpote non omnibus, sed gravioribus tantum delictis pœnitentiam ab Ecclesia posse impertiri, inficientes, ut vidimus Tit. 7. N. 15. & N. 16. Negavit tamen Novatus & Novatianus, qui nulli delicto veniam ab Ecclesia dari posse affirmarunt, nec errorem unquam retraxerunt, ut perspicue affirmant Patres, & videri potest loco mox citato, ut propterea hallucinetur & Juenin, qui temere asserit Patres mentem Novatiani non attigisse, & multi recentiores Theologi, qui scribunt ante 16. Sæculum neminem Sacramentum Pœnitentiæ negasse. Nam esto verum sit Waldenses, Wicleffitas, & Hussitas non negasse Sacramentum Pœnitentiæ, sed in eo solum versatos fuisse errore, quod non possit administrari à Ministro in lethali noxa constituto, ut vidimus supra Tit. 7. N. 24. certo illud nihilominus negavit Novatus, Novatianus, & ante emolitionem sententiæ ipsi Novatiani; ut hos solos Præcursores habeat Zwinglius, qui pœnitentiam negavit esse Sacramentum, & Calvinus, qui noluit esse Sacramentum à Baptismo distinctum, sed ejus recordationem, quæ peccata postliminio patrata per justitiam illam imputativam Christi tegerentur: Lutherus item & Melancthon, qui tamen finaliter pœnitentiam inter novæ Legis Sacramenta connumerarunt. Lutherus enim, postquam in lib. de captivitate Babyl. Pœnitentiam, Baptismum, & panem vera esse Sacramenta edixisset, sed ad calcem ejusdem, an Pœnitentia in rigore Sacramentum dici

posset, hæsitasset; dubium tamen deposuit postea, & pœnitentiam verum Ecclesiæ Sacramentum admisit propositione 35. adversus Lovanienfes. Melancthon item, qui An. 1522. in locis communibus docuit pœnitentiam non esse Sacramentum, postea sententiam revocavit in editione 1543. In Lutheri & Melancthonis postremas sententias conspiciat Apologia Confessionis Augustanæ communibus Lutheranorum suffragiis edita, & hac ætate Lutherani vulgo profitentur pœnitentiam esse verum Sacramentum. De quo videatur Bossuet de variatione Ecclesiarum Protestantium. Contra Zwinglium ergo & Calvinum probandum est, pœnitentiam esse novæ Legis Sacramentum: secundo, esse Sacramentum à Baptismo distinctum.

4. Pœnitentiam esse verum novæ Legis Sacramentum perspicue colligitur ex Sacris Paginis.

Hæc siquidem omnia illa tribuunt pœnitentiæ, ex quibus coalescit etiam ex mente Apologiæ Augustanæ Confessionis notio veri Sacramenti, nimirum *Christi mandatum, Ritum externum, & promissionem gratiæ* huic Ritui annexam: de quibus vide dicta lib. 4. N. 167. Et quidem hæc omnia exhibet v. 19. Matth. c. 16. ubi Christus ait Petro: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cælis: & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in Cælis*; quæ potestas postea Joann. 20. v. 21. extenditur ad omnes Apostolos, dum Christus in ipsos exultans ait: *Accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*. Ex quibus verbis colligunt Catholici Petrum reliquosque Apostolos accepisse *mandatum* dimittendi peccata Fidelibus lapsis: quæ remissio cum fiat per *justificationem*, & actum *remissionis* includat, etiam *Ritum externum*, & *promissionem gratiæ* explicat.

5. Pœnitentiam esse veri nominis Sacramentum